e-codices

tum immobiles nec in totum mobiles sonant. In totum immobiles sunt. proslambanomenos. hypate
hypaton. hypate meson. mese. [nete] synemmenon. paramesos. nete diezeugmenon. nete hyperboleon.
idcirco quoniam in omnibus tribus generibus eaedem sunt. nec loca nec nomina permutantes. siue
pentachorda. siue tetrachorda contineant. Pentachorda quidem. ut proslambanomenos ad hypa
ten meson. et mese ad neten diezeugmenon. Tetrachorda uero ut hypates hypaton. ad hypaten
meson. et hypate meson ad meson. Mobiles uero sunt quae secundum singula genera permutantur
hoc modo. ut paranete et lycanos diatonici. et chromatici. trite. et parhypate enarmo
nii. Alia est enim paranete hyperboleon diatonos. alia paranete hyperboleon chroma
thica. Alia trite enarmonios. Diuersae sunt etiam paranete diezeugmenon diatonos atque chro
matica. nec est eadem quae in generibus ceteris trite diezeugmenon enarmonios. Neque eaedem sunt
paranete synemmenon diatonos et chromatica. et trite synemmenon enarmonios. his quae sunt
in reliquis generibus trite. Distant etiam lycanos meson diatonos. et lychanos meson chromatice.
et parhypate meson enarmonios. Nulli aliorum generum parhypate similis inuenitur. Nec eosdem
locos ac numeros seruant lychanos hypaton diatonos. et lychanos hypaton chromatice.
Nam parhypate hypaton enarmonios. aliorum generum parhypatis repperitur esse dissimilis. Non
in totum uero immobiles aut mobiles sunt quae in duobus quidem generibus manent. id est chromatico.
et diatonico. sed in enarmonio permutantur. Id autem sic consideratur. Trite hyperboleon diatonos.
et trite hyperboleon chromatice eadem in superiore forma descripta est. hisdem numeris. IIDCCCCXVI. At ue
ro cum enarmonium genus aspicimus. tritem aliam reperimus id est II. DCCCCXCIIII. Quae igitur uox duobus
fuit generibus communis. eadem in tertio permutata est. Idem est et in diezeugmenon tetrachordo. Nam
trite diezeugmenon diatonos et trite diezeugmenon chromatica. eaedem sunt sibique consentiunt.
Trite autem diezeugmenon enarmonios. a superioribus distat. In synemmenis etiam idem est.
Trite enim synemmenon diathonos et trite synemmenon chromatica eaedem sunt. sed trite synen
menon enarmonios est diuersa. Item parhypate meson diatonos. et parhypate meson chromatica.
eaedem notantur. sed in enarmonio genere. sicut superius trite. ita hic parhypate iuxta hypatas
meson quidem inueniuntur. Ui autem a consonia cum ne diuersae sunt ~~generis~~ [ceteris]. Rursus parhypaten
hypaton diatonos. et parhypate hypaton chromaticha eadem est. sed non eadem est cum in enarmonio
genere queritur. Sed ut harum non plena mutabilitas clarius conliquescat. ad hyperboleon tetra
chordon redeamus. In hoc igitur quae in diatonico atque chromatico genere trite hyperboleon est.
eadem mutatur in enarmonio. et fit paranete. Itemque trite diaezeugmenon uel in diatonico
uel cromatico genere uocabatur. paranete in enarmonio dicitur. Quae trite synemmenon
in chromatico [uel diatonico] fuit. in enarmonio in paraneten transit. Quae uero parhypate meson
in chromatico uel diatonico uisebatur. eadem lychanos meson in enarmonio repperitur.

innomine

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 124 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/it/sbe/0298/124)